ualeat aspirare consortium nisi qui huius uotis in se continet sacramentum. Esto
igitur terra ut fixo pondere consistens irruentium temptationum te aura
non rapiat. Esto simul et rubra ut mens tua in redemptoris sui semper amore
feruescat. Esto et terra ut ex te spiritualium segetum prouentus exube-
ret. Esto rubra ut ara mentis tue desiderii celestis estus inflammet.
Esto terra ut te semper in anima tanquam uile lutum per humilitatis custodiam
deprimas. Esto rubra ut ad concupiscenda celestia quoscumque poteris si-
cut ipse uaporatus accendas. Esto terra ut intra te non nutantis
fidei colloces fundamentum. Esto rubra ut super hoc erigatur in caritate
coherentium structura uirtutum. ut sit in te sicut per apostolum dicitur
fides que per dilectionem operatur. Diem uero iudicii ad quem tendit prolixi-
tas operum cum certe tantum omnis pagine scripturarum tam magnum tibi ti-
midumque propone. quem nec mens quantumlibet sagax sic est comprehendere.
nec ullus humane lingue sermo ualeat explicare. Cui uidelicet
mens tua continuo terrore transfixa nec umquam delectare possit ille-
cebris. nec a tenendo arduo conuersationis incessu quibuslibet obtun-
datur aduersis. Sicque iudicii diem metuas imminentem ut non expediat
timere presentem. quatinus dum tuo iudicio te prudenter examinas
ante tribunal eterni iudicis non iudicandus sed etiam iudicaturus ac
per hoc securus existas. Et quia in confessione faciem iudicis preueni-
sti non iudicium compellaris subire censuram sed iudex cum iudicibus et
senatoribus etiam feliciter introducaris in gloriam. prestante domino nostro ihesu
christo cui est honor et gloria in secula seculorum. amen.

Que nam summa boni est? Mens que sibi conscia recti. Pernities ho-
minis que maxima? Solus adulter. Quis diues? Qui nil cupiet.
Quis pauper? Auarus. Que dos matronis pulcherrima? Uita pudica.
Que casta est? De qua mentiri fama ueretur. Quod prudentis opus est?
Cum possit nolle nocere. Quod stulti proprium? Non posse et uelle
nocere. Incipit de .vii. miraculis mundi ab hominibus factis de capito-
lio rome. Primum miraculum capitolium rome que est ciuitas ciuitatum
ubi consecratio statuarum omnium gentium et statue scripta nomina in pe-
ctore gentis cuius imaginem tenebant gestabant. et tintinnabulum
in collo uniuscuiusque statue erat. et sacerdotes die ac nocte semper
uicibus uigilantes custodiebant. et que gens in rebellione consurgere
conabatur contra romanum imperium statua illius gentis commouebatur
et tintinnabulum in collo eius resonabat. ita ut scriptum nomen continuo